Sit omnibus notum / Quod Ego ffranciscus de podio prochie de vilalbino filius et heres Guillermi de podio quondam prochie de vilalbino Confiteor et spon
tanee recognosco vobis domino Geraldo de juyano sacristano Monasterii sancti danielis Gerunde quod sum homo proprius et solidus una cum omni prole
mea / et me gerere sive rebus et bonis meis mobilibus presentibus et futuris vestri et vestrorum successorum in dicto officio sacristie racione mansi de podio
de vilalbino / cuius sunt domini vicilis qui pro dicto officio sacristie tenetur / et pro quo vos et vestri successores in dicto officio sacristie consueuistis et debetis esse
homines et mulieres / Quare promitto quod ero vobis et vestris successoribus in dicto officio sacristie bonus fidelis et legalis de corpore et avere / et vos et vestros
successores in dicto officio sacristie pro dominis seu dominis meis reclamabo et non alios et non intrabo causa habitandi Civitatem villam Castrum vel
alia loca priuilegiata / nec aliquid aliud dicam faciam proponam seu procurabo propter quod possitis seu possint me amittere et alium dominum haberi / Et pro predictis
attendendis et complendis obligo vobis et vestris personam meam / et omnia bona mea ubique habita et habenda / Et ad maiorem firmitatem predictorum presto
et facio vobis homagium manibus comendatum juxta usum et consuetudinem huius terre / Juramus sponte per deum / et eius sancta quatuor euangelia corporaliter
a me tacta predicta / omnia / et singula rata grata et firma habere tenere et seruare attendere et complere et contra predicta non venire aliqua racione
jure vel modo / Actum est hoc / Gerunde vndecima die Januarii Anno / a natiuitate domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo nono / Signum ffrancisci de podio
predicti / qui hec firmo et laudo / atque juro / Testes huius rei sunt Bernardus pictoris notarius / et ffranciscus egidii scriptor Gerunde.

Johannes de ffontecoperto notarius publicus substitutus auctoritate regia a jacobo de campolongo publico Gerunde notario hec
scribi feci et clausi.

Sacristia
Vilobí
Mas Puig

[illegible] de [illegible] per [illegible] mas Puig de Vilobí
en favor de la sacristia de S. Daniel [illegible] Franc.co
de Puig de dita [illegible] 1379 a 11 janer

[illegible] de quant [illegible] de la Sacristia de S. Daniel

[illegible]
Romanatge [illegible]
[illegible]
[illegible] 1 [illegible]

11-I-1379

nº 979

T. 172 x 330

1039